



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

Molina, Luis de

Lugduni, 1622

Articvlvs X. Vtrum Deus cognoscat mala. artic. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)

præcisè coexistit huic instanti temporis nostri, habere hoc ipso instanti temporis nostri rationem scientiæ simplicis intelligentiæ comparatione Antichristi: quia tamen propria duratio scientiæ diuinæ est æternitas, atque in ipsamet duratione æternitatis, quæ complectitur omne tempus, Antichristus existit, quatenus æternitas correspondet temporis, in quo existet, simpliciter scientiæ diuinæ comparatione Antichristi appellatur scientiæ visionis, atque ita in eo sensu loquendum est cum communi vsu & sententia Doctorum.

ARTICVLVS X.

Virum Deus cognoscat mala.

AFFIRMAT conclusio. Nec salua fide negari potest. Ea verò, quod ad mala naturæ attinet patet ex illo Sapientiæ 8. *Monstra scire antequam fiant.* Quod attinet ad mala pœnæ ex illo Amos 3. est manifesta, *Sierit malum in ciuitate, quod dominus non fecerit, &c.* sæpèque Scripturæ affirmant, Deum inducere malum pœnæ: cum ergo Deus causa sit per intellectum & voluntatem, imò & ipsa sola permissio mali cognitionem illius requirat, qui illud dicitur ex eo permittere, quod potest illud impedire, si velit, nec tamen vult, fit, vt Deus mala pœnæ cognoscat. Quod denique attinet ad mala culpæ, constat ex illo Prouerb. 15. *Infernus, & perditio coram Domino.* Amos 5. *Cognoui scelera vestra, &c.* Cum autem malum non aliud sit essentialiter, quàm priuatio boni, vt q. 5. ostensum est, non quidem increari (quia eius nulla potest esse priuatio) sed creati, fit, vt Deus per bona creata, quæ in se ipso cognoscit, cognoscat vltèrius mala opposita cernens eorum absentiam in subiecto, cui erant debita, aut saltem apta inesse: neque aliter vlla potentia magnum cognosci valet, quàm per bonum oppositum, quod ab esse cognoscatur. Porro mala, quæ in aliqua differentia temporis sunt, cognoscit Deus scientiæ visionis, esto formaliter sumpta entia sint rationis: ea verò, quæ esse possunt, & nunquam erunt, cognoscit scientiæ simplicis intelligentiæ, vt ex dictis art. 1. præcedente est manifestum, quod etiam Caietanus animaduertit.

Quod si aduersus conclusionem propositam obiciatis illud Habacuc. 1. *Mundi sunt oculi mihi, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris:* vbi inuitur Deum non cognoscere mala. Dicendum est, illud intelligendum esse de scientiæ approbationis, de qua sæpe sermo est in Scripturis sanctis: non autem de nuda cognitione. Porro iuxta Augustinum lib. 2. quaestionum super Exodum q. 15 2. lib. 83. quaestionum q. 60. & libro de essentia diuinitatis prope medium, *secundum hanc scientiam Deus scire dicitur, quæ illi placent, nescire quæ displicent,* non quia ignorat ea, sed quia non approbat. Quo pacto quibusdam Matthæi 25. dicitur, *Non noui vos.* Quo etiam pacto, addit Augustinus, *ars rectè dicitur nescire vitia, cum improbat vitia.*

Circa responsionem ad primum argumentum D. Thomæ notandum est, nõ ex priuationibus, quæ sunt in potentiis non cognoscentibus, agnoscere priuationes rerum. Respicientes namque ad aërem, verbi gratia, attendentesque nos carere visione luminis, quam proculdubio haberemus tunc, si lumen in aëre esset, percipimus absentiam luminis in aëre, atque adeò in eo tenebras cognoscimus. Atque hoc est quod Aristoteles affirmat tertio de anima textu 27. verbis illis, quæ hoc loco refert D. Thomas. Deus autem non per priuationem, quæ fit in potentia

Molina in D. Thom.

Atia ipsius cognoscere, agnoscit priuationes, quæ sunt in rebus, sed in se ipso intuetur immediatè, quando habitus aptus in esse suo subiecto inest, vel non inest, atque adeò in se ipso immediatè intuetur priuationes, quæ sunt, aut non sunt in rebus. Ratio autem huius discriminis est, quoniam nos cognitionem à rebus sumimus: Deus autem minime, sed potius per suam scientiam causa rerum existit. Perperam ergo Auertros in illum locum Aristotelis affirmatur, Deum non cognoscere mala & alias priuationes, motus verbis illis Aristotelis, quæ tamen de nostra tantum cognitione ab Aristotele dicta fuerunt.

ARTICVLVS XI.

Virum Deus cognoscat singularia.

CONCLUSIO affirmat, eamque de fide esse patet ex testimoniis citatis art. 5. & 6. & ex multis aliis Scripturæ sacre rationes autem quibus eisdem articulos probauimus, Deum cognoscere alia à se propria cognitione, probant etiam ab eo cognosci singularia, quæ non minùs virtute & eminenter in Deo continentur quoad differentias indiuiduantes tamquam in causa prima & fonte, à quo emanarunt, quàm continentur gradus generici & specifici. Modum quo intellectus noster cognoscit singularia in commentariis super Porphyrium, & in proœmio librorum Physicorum, ac 3. libro de anima explanauimus.

ARTICVLVS XII.

Virum Deus possit cognoscere infinita.

PRIMA conclusio D. Thomæ est. Deus cognoscit actu infinita. Probatur, cognoscit actu & simul omnia ad quæ, tum potentia creaturarum, tum omnipotentia ipsius sese extendit: hæc verò sunt infinita: ergo cognoscit actu infinita. Possumus idem confirmare, quoniam si simul essent actu omnia, quæ Deus potest facere, essent actu infinita, sed omnia illa simul actu cognoscit: ergo actu cognoscit infinita, quæ sunt quidem actu cognita, non tamen actu existunt. Item si vni & eidem magnitudini tota illa accessio partium extensarum, quam Deus potest facere, simul adderetur, magnitudo illa euaderet actu infinita: sed Deus bene nouit simul vniuersam eam accessionem, cum nihil illius Deum lateat, neque quicquam successiue cognoscat: ergo cognoscit actu magnitudinem infinitam, quæ est quidem actu cognita, non tamen actu existit. Confirmari potest conclusio proposita ex illo Psal. 146. *Magnum Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientia eius non est numerus.* Atque ex Augustino 12. de ciuitate Dei cap. 8. qui eam aduersus quosdam ex instituto probat, & post testimonium Scripturæ citatum concludit, *quæuis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cuius intelligentiæ non est numerus.* Augustinum legito. Reicienda est ergo sententia Durandi in 1. d. 39. q. 2. asserentis, Deum non cognoscere actu infinitum. Eius verò argumentum eiusmodi est. Nihil intelligitur, nisi sub ratione entis: infinitum, cum nulla ratione esse possit, non habet rationem entis: ergo non intelligitur à Deo. Sed iam illud supra ad calcem articuli 6. diluimus.

Secunda conclusio. Non tantum scientiæ diuinæ, secundum

Deus cognoscat mala & pœnæ.

Chastus.

Deus cognoscat mala & pœnæ.

Scientia approbationis quædam est, quæ dicitur scire peccata ac peccata.

Priuationes quædam sunt à rebus, & à Deo cognoscuntur.

Deus cognoscit singularia.

Prima conclusio. Deus cognoscit actu infinita.

Durandi sententia improbat.

Secunda conclusio. Scientiæ diuinæ.